DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE CATARRHO EPIDEMICO QUI Anno M,DCC,LXXXII. graſſabatur.

DISSERTATIO MEDICA, INAUGURALIS,

DE

CATARRHO EPIDEMICO

QUI

Anno M, DCC, LXXXII.

graſſabatur.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

JOANNES DUNCAN,

SCOTUS,

Soc. Reg. Med. Edinenſ. Soc. Extraord.

Mobilitate viget, viresque acquirit eundo.

VIRGIL.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXV.

DISSERTATIO MEDICA,

GULIELMO ROBERTSON, S.T.B. S.R.E.

DE

CATARRHO EPIDEMICO

QUI

Anno MDCCLXXXIII.

grassabatur.

D. GULIELMI ROBERTSON, SOCII.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ

MEDICI.

Annuente SENATU ACADEMICO

ET

CLARISSIMI FACULTATIS MEDICÆ DECANI

Pro GRADU DOCTORIS,

Eruditorum examini subjicit

JOANNES STEVENSON,

SCOTUS,

Soc. Reg. Med. Edinens. Soc. Veterinar.

EDINBURGI:

Apud ALEXANDRUM DONALDSON,

Academiæ Typographum.

MDCCLXXXV.

Viro admodum reverendo,

GULIELMO ROBERTSON, S.T.D. S.R.E.S.

Regio apud Scotos Hiſtorico,

Academiae Edinenſis Praefecto,

Cincto viridanti tempora Lauro,

Cujus frondem parum caducam,

Invidia tetro anhelitu nunquam afflabit,

Dum Facundiae, Scientiae, iiſque animi dotibus,

Quae hiſtoriae colluſtrandae et ornandae inſerviunt,

Suus conſtabit honor,

Hanc diſſertationem,

Animi gratiſſimi indicium,

Summa cum obſervantia,

Dicat

DEVINCTISSIMUS AUCTOR.

Dr Spooner

with best Compts

from his humble Servt

The authors

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

CATARRHO EPIDEMICO*

Qui Anno M, DCC, LXXXII.

graſſabatur.

AB omni aevo, rei medicae cultores, morbos epidemicos contagioſos, ſummo ſtudio, ſumma cura, proſequendos rati ſunt, multique docti, et magno ingenio viri, illorum naturam, et cauſas indagando, operam navarunt : Eo conſilio, ut quantum poſſent, illis reditum intercluderent, graſſantibus obviam irent, et omni modo vim lethiferam frangerent.

A Plurimi

* Huic morbo alii alia nomina indiderunt, quorum praecipua ſunt, *Febris catarrhalis epidemica* Hippocratis et Huxhamii ; *Catarrhus epide-*

Plurimi horum, effectus funeſtiſſimos praeſtare, genuſque humanum, ſaeviore ſtrage quam gladius hoſtium maxime truculentorum, ſternere ſolent, dum alii, quorum curſus aeque patet, humana pernicie minus foedantur. Hujuſmodi eſt Influenza, quo nullus morbus contagioſus plures terrae regiones pervagatus eſt, aut pauciora edidit funera.

Quibus temporibus variis, morbi hujuſmodi epidemici ſeſe oſtenderunt, referre, cum ſupervacaneum, tum mora eſſet longa. Qui de hac re certior eſſe velit lector, ab auctoribus a cel. Culleno memoratis †, eam ſat perſpectam habere poteſt.

Nunc igitur ſolum in animo eſt iter inveſtigare (parum quidem fuſe) catarrhi anni 1782 epidemici, per regiones varias quas infeſtavit; deinde perbrevem phaenomenon, quae in Britannia edidit, hiſtoriam aggredi; ac denique medendi

epidemicus Sauvageſii; *Catarrhus a contagio* Culleni; *Tolette*, vulgo *La Grippe* Gallorum, et *Influenza* Italorum. Cum *Influenza* ſit nomen in Britannia quoque vulgatiſſimum, ea deinceps ſaepius utar.

† Vid. Synopſ. Noſol. Method. Gen. XL. edit. 1785.

medendi methodum tradere, quam experientia prae caeteris probavit.

Quoniam vero hicce morbus ſemper et ubique eandem fere ſpeciem prae ſe tulerit, ita hujus phaenomenis narratis, praecipua omnium ejuſmodi epidemicorum antecedentium ſymptomata, ſeſe explicata habere, neceſſe eſt.

DEFINITIO MORBI.

" Pyrexia ſemper contagioſa; muci ex glandulis membranae narium, faucium, vel bronchiorum, excretio " aucta; ſaltem hujus excretionis molimina."

Quo definitio catarrhi in genere, ab ill. Culleno in lucem edita, huic ſpeciei a nobis tractandae ſit propria, vocabulo *ſemper* pro *ſaepe* utimur.

HISTORIA.

HISTORIA.

Inter omnes catarrhos epidemicos, de quibus aliquid certi ad nos pervenit, is, qui annum 1782 afflixit, insigniter eminet, non modo ob amplitudinem terrarum quas percurrit, sed ob numerum mortalium quos ubique lacessivit; perpauci enim, rustici vel oppidani, prae multitudine laborantium, ejus omnino evaserunt impetum.

Ubinam hic morbus primum exortus est, auctoribus inter sese parum convenit. Alii in Europa, alii in Asia, originem duxisse credunt. Hanc litem relinquam sub judice, quippe quam ad dirimendam, multa adhuc desiderata. Magis tamen ut credam, adducor, primum in Asia extitisse; morbus enim epidemicus huic persimilis, anno antequam Britanniam invasit, proximo, scilicet 1781, mensibus Octobre et Novembre, apud Indos Orientales increbuisse dicitur; cum primum, quantum accepimus, hicce morbus sese ostendit. Sub finem ejusdem anni, a China ad Tobolski in Siberia usque iter fecisse fertur. Initio anni insequentis provincias Imperii Russici interio-

res,

res, vel in Muſcoviam Europeam penetravit ; etenim menſe Februario 1782, apud Petropolin Imperatricis ſedem, haud dubie magnopere ſaeviit.

Brevi, per omnes Continentis partes Septentrionales, mirum in modum gliſcebat ; ac deinde profectus ſolis propemodum occaſum verſus, Daniae Kalend. circiter Maias ſeſe oſtendit.

Quo tempore primum in Britannia exortus ſit, vix ſatis conſtat. At nil dubium quin Londini apparuerit Id. circiter Maiae, et Angliae partem maximam paucis diebus ante, vel forſan circiter Kalend. Junias, peragraverit.

Eodem fere tempore, aut certe non multo poſt, in Hiberniam tranſiit ; et tunc quoque temporis, in provinciis Scotiae ad meridiem vergentibus, quaedam illius veſtigia conſpiciebantur : At Edinburgum ante Nonas Junii vix attigit.

In Gallia exſtitit hocce malum, menſibus Junio Julioque, ann. 1782.

Italiam,

Italiam, Julio et Auguſto, autem Auguſto aĕ Septembre, Portugalliam Hiſpaniamque invaſit.

Inde ad Americam ſeſe tranſtuliſſe fertur; ſed a multis quaerendo, qui huc nuper ab illa regione venerunt, ſententiam illam fundamento minime ſtabili inniti novimus.

Hujuſce mali Aſiatici, ſecundum conſilium noſtrum, origine, variaſque per regiones itinere quam breviſſime indagatis, ut illius ſymptomata recenſeamus, proximum eſt.

Mortales cujuſque aetatis, juniores vero ſaepius infeſtavit; etſi ne quidem infantibus ipſis, nec aetate provectiſſimis, omninó pepercit. Uterque revera ſexus, omnis vitae gradus, omniſque corporis habitus, praeſertim autem ſanguineus, ei erant obnoxii.

Subito admodum, et uti ſolent caetera mala febrilia, ſtadio frigido evidente acceſſit, quod calidum viciſſim excepit, ſudore vero non ſtatim poſt profluente.

Ab

Ab initio uſque morbi aderant ſigna debilitatis eximiae; ſenſus ab omni parte moleſtus; animus languidus, lugubris; anxietas ac ſuſpiria crebra; lumborum et utriuſque hypochondrii dolor manu premente auctus; per cervicem, humeros, et crura, dolores vagi.

Haec vel dolore capitis, praecipue circa verticem, acuto, vel ſaepius diſtenſione ingrata, gravedine et dolore frontis et oculorum, nonnunquam vertigine, praeſertim ſi ſe movere conatus fuerit aegrotus, (a quo ſane multum abhorrebat); aliquando etiam epiſtaxi ſtipata ſunt.

His ſuccedebant ſternutatio, olfactus et auditus obtuſi, oculorum lachrymatio, dolor et interdum inflammatio levis, narium rubedo et obſtructio, liberum aëris introitum impediens, nec non ex iis humoris, primo tenuis, poſtea craſſeſcentis, perpetuum ſtillicidium, quod labium ſuperius excoriando, papulas parvas, rubras, dolorificas, aliquando in eruptionem ſcabioſam abeuntes, edidit.

Tracheae ſiccitas, et raucedo; moleſtiae, caloris doloriſque in faucibus internis, ſenſus; deglutitio difficilis; tonſillarum atque uvulae inflammatio, et interdum ſuppuratio, aderant.

Tuſſis,

Tuſſis, quae interdum primum ſymptomatum omnium prodiit, dehinc, plus minuſve, ſemper ſuberat, ac plerumque, etſi initio ſicca et dura, paucos poſt dies humidior evaſit, ita ut muci viſcidi, albidi, vel ſubflavi, copia exſcrearetur.

Quin et compluribus in exemplis tuſſis acerbior facta, aegrum valde laceſſivit, capitiſque dolorem adauxit, et, dyſpnoea ſenſuque thoracis conſtricti ſimul urgentibus, in latere vel pectore dolores fixos vagoſve ſubinde excivit; dum interea parum ſputo ejiciebatur, idque difficillime, et ſaepe ſanguine tinctum.

Interdum tamen, etſi rarius, cum omnia reliqua febris catarrhalis ſymptomata pathognomonica aderant, tuſſis erat nulla; obſervatumque eſt quibus nulla tuſſis adfuit, iis copiam humoris majorem e naribus oculiſque efflux-iſſe.

Nec ſilentio praetermittere fas eſt, quod pulſus et frequentia et vi ictuum, ſaepe multum inter ſeſe variabant.

Ineunte morbo aut leniter progrediente, pleni, molles, nec ultra centum in horae *minuto* numerabantur; at, morbo

morbo acrius saeviente, ad centum et viginti ascendebant, istumque numerum egrediebantur. Nonnunquam intermittebant, et motu, vel conamine quolibet, mirum in modum accelerabantur.

Calebat cutis, et citius seriusve ad madorem proclivis facta est.

Lingua nil fere praeter solitum ostendit; aliquando vero humida, et albida erat.

Neutiquam urgebat sitis; attamen saporem ingratum aegrotus querebatur.

Plerisque in exemplis, cibi appetitus quodammodo imminutus; in multis nullus erat, tunc vero ventriculus, nausea, et flatu opprimebatur.

Alvus plerumque naturalis.

Somnus inquietus corpus minime fovebat.

Pyrexia remissiones matutinas, exacerbationes vespertinas, habere solebat; has indicarunt pulsus celeriores, deliriumque subinde per noctem invadens.

Sanguis tunc temporis missus, et jam concretus, in quamplurimis, superficiem coriaceam albidam ostendebat. Nihilominus color ejusque habitus, pro diversa aegrorum natura, admodum diversi erant.

Hujusmodi fere erat influenza anni 1782; caeterum non est negandum, quin symptomata, non modo morbo ineunte, sed progrediente, et abeunte, essent varia. Signa catarrhi, modo pyrexiam antecesserunt, modo simul invaserunt. Paucis in exemplis, symptomata catarrhalia et pneumonica omnino defuerunt.

Interdum, signis sat multis certe, jam memoratis, alia adjiciebantur; quae cuncta tamen, cum naturae morbi vix essent propria, recensere, labor foret injucundus et inutilis, quippe a proposito nostro alienus. Praecipua haec erant, partes variae, praesertim aures, glandulae axillares ac parotideae in abscessus abeuntes; aquosae in trunco corporis vesiculae; inflammationes erysipelatosae; et corpus totum cum dolore ac rubedine tumidum, quod tamen minime erat frequens.

In aliis influenza magis, in aliis minus fuit diuturna. Plerumque poſt horas viginti quatuor, vel quadraginta octo a morbo incepto, pyrexia levior facta eſt, et ſudore univerſo ac copioſo profluente, cui ſaepe accedebat eruptio miliaris, prorſus deceſſit. Exinde etiam tuſſis paulatim miteſcens, aegrotum debilem quidem, ſed quod ad alia, omnino ſanum reliquit.

Perpauci, contra frigus, fatigationem, et alia nociva parum cauti, priuſquam priſtinae vires redierant, ſecundum impetum, primo pertinaciorem perpeſſi ſunt; ſed hoc rariſſime accidit.

DIAGNOSIS.

Hujus morbi ſymptomatibus, jam in hiſtoria recenſitis, ac praecipue ejus natura epidemica, rite perpenſis, illum inter et cynanchem tonſillarem, aſthma ſpaſmodicum, anginam pectoris, nonnullaſque febrium continuarum ſpecies, diſtinguere, haudquaquam erit difficile.

Attamen

Attamen hunc inter et morbos quoſdam alios, dignoſcere difficilius.

Symptomata catarrhi a frigore proficiſcentis, ac hujus ſpeciei, adeo inter ſeſe conſimilia ſunt, ut ad morbum alterum ab altero ſecernendum, attentione quam maxima opus ſit. Huic rei notae ſequentes plerumque ſufficient; ſcilicet impetus ſubitus; progreſſus celerior; ſigna ſaeviora, ac pyrexia, ea quae catarrhum frigoris ſolius prolem, comitatur, vehementior.

A pertuſſi quoque ac rubeola incipientibus, hunc morbum diſtinguere difficillimum. Si aeger illa nunquam laboraverit, et ſi nil certi de contagio adhibito, nil comperti habeatur, in errorem incidi facile poteſt. Brevi tamen, tuſſis convulſiva, inſpiratio clangoſa, vomituſque, (catarrhi rarior comes,) lucem ſatis claram rei affundent.

Rubeolae majore irritabilitate, et graviore anxietate ante eruptionem, plerumque ſtipantur; ſed tanta eſt ſimilitudo utriuſque morbi, quod ad ſigna catarrhalia, ut difficillimum ſit dictu, uter adſit, (ni compertum habeatur aegrum

aegrum antea rubeolis laboraſſe) donec maculae, paucis diebus interjectis, conſpectae, morbum manifeſtum reddunt.

Praeter jam dicta, diagnoſis inter Influenzam et phthiſin, in quam, aliquando, ſed rariſſime deſiit, reſtat, petenda, vel ſaltem, ſigna quae hujus funeſtae ſequelae adventum indicant, ſunt notanda. Tuſſis per complures hebdomadas, remediis cunctis fruſtra adhibitis, durans, ſiccior ac obſcurior ab irritatione quadam tracheae inferioris provenire videtur, et cibo ſumpto, augetur; dyſpnoea gravior fit; aeger nunc in alterum latus facilius, nunc in neutrum decumbere poteſt; dolores erratici thoracem pungunt; febris demum hectica cum ſputo purulento, ſudoribus nocturnis, partes quaſdam ſolas madefacientibus, voce mutata, ſiti, cibi faſtidio, ac ejuſdem nuper ſumpti vomitu, ſqualidaque macie, miſerum urget atque conficit.

MORBI

MORBI CAUSA ET NATURA.

Ante Cauſam Remotam inveſtigandam, forſan hic deſiderabitur quaedam ratio iſtarum rerum, quae corpus ad morbum proclive reddendo, cauſam remotam ita adjuvant, ut morbum gignere ſufficiat. Sed cum malum de quo agitur, adeo invaluit, totque mortales inter ſe quodad omnia, diverſos, invaſit, eas vel invenire, vel rite recenſere, eſt admodum difficile. Si tamen liceat analogiae ac ſimilitudini inter Influenzam alioſque morbos epidemicos a contagione ortos, credere, Timor, Moeſtitia, Frigus, Venus immodica, Intemperantia Cibi Potuſque, cuncta denique quotquot ſint, quae corpus debilitant, inter Cauſas Influenzae Praediſponentes jure poni poſſunt.

Plura hac de re nunc addere ſupervacaneum judico; nam ea erat natura Cauſae Remotae, quam *Contagionem Specificam* late diffuſam fuiſſe habeo, ut alienae opis parum

rum indiga, mortales ſeu magis ſive minus ei obnoxios, perexiguo diſcrimine invaſerit.

Quo plenius conſtet, Influenzam eſſe revera Contagionis prolem, ſequentia argumenta perpendantur; viz.

1*mo*, Modus peculiaris quo curſum tenuit.

Familias, vicos, urbes ita invaſit, ut tempore modoque rite conſideratis, origo ejus frequenter minime latuerit. Advenae, exempli gratia, e locis Influenza afflictis egreſſi, eam in alios antehac ſanos, ſecum attulerunt; et ciſtula veſtimentorum Dublinio tunc laborante, devecta, quoddam oppidum Anglicum infeciſſe dicitur. Interdum hebdoma vel diutius uno in oppido prius permanſit, quam in proximum tranſiit, etiamſi non longe inter ſe diſtarent.

Immo, quod etiam videtur mirabilius, exemplum fuit duorum oppidorum haud longe diſtantium, quibus utrinque commercium fuit, ubi Influenza ſaeviit, dum tertium

tium inter haec medium, in ipſo itinere ſitum, ejus reſtitit aliquandiu expers. Paucas praeterea familias in oppidis, plures rure degentes, ut et quaſdam plagas terrae, omnino praetermiſit.

Res ſupra dictae nos progreſſum morbi tum facilius, tum certius, quam quaevis hypotheſis, explanare docent; et quidem ipſae nequaquam explicari poſſunt, ſi hic morbus a quadam aëris temperie pendere credatur, vel ſi Effluviis Humanis, contagione foetis, non tribuatur.

Huic quoque pertinent ſubitae illius Migrationes, non modo ab alio ad alium hominem, ſed ab alia ad aliam urbem aut regionem; totam enim familiam, ſingulorum quos adortus eſt, plerumque corripuit, et urbes quam maximas, itinere admodum rapido, celerrime fuit pervagatus.

2do, Similitudo ejus cum Peſte, Variolis, et aliis morbis epidemicis, quos contagioni omnes tribuunt. Signa

Influenzae

Influenzae proximae, hanc ſimilitudinem, et exinde ejus naturam contagioſam monſtrantia, fuere multa, uti laſſitudo ac debilitas, quae ei ingruenti ſubito aderant, ſymptomatum rapida ſucceſſio, pulſus abnormis, exitus morbi plerumque repentinus, et alia inſuper multa.

3*tio*, Denique, cuncta commonſtrant, cauſam morbi fuiſſe mutatione loci immutatam, ita ut in regionibus mari longo, vel montibus altiſſimis invicem disjunctis, extiterit omnino eadem. Sub omnibus coeli varietatibus, variis tempeſtatibus anni, in utroque frigoris et caloris extremo, etſi qualitates aëris, cum illae quae ſenſibus patent, tum reliquae, haud dubie inſignes ſubierant mutationes, hic morbus non modo viguit, ſed eandem exhibuit ſpeciem. Hoc tamen fieri, ſi morbus a quadam aëris mutatione pendeat, et contagionis ſit expers, uti quibuſdam, cum domi tum foris ſat celebribus, placuit, non magis fidem, quam vim imaginandi meam ſuperat.

Parum refert dicere, mutationem aëris, unde Influenza proveniat, eſſe talem qualis ſenſus aciem omnino effugiat, ideoque fore ſemper incognitam: Hoc enim nil probat,

niſi temeritatem affirmantis ac fiduciam. Si mutatio quaelibet cunctos effugit ſenſus, quomodo detegitur? Unde cognoſcitur?

Quin frigus ipſum ſaepe viſum ſit edere morbum, minime eſt negandum; at hoc nil probat; abunde enim cognitum eſt, ac innumeris obſervationibus confirmatum, frigus, corpori humano adhibitum, vim plerifque contagionibus addere, earumque operationi favere.

Communis catarrhus, quod ad nonnulla, Influenzae ſimilis, etſi natura longe diverſa, repentinis coeli a maximo calore et ariditate, ad frigus et humorem, mutationibus, originem haud dubie debet: Et forſan licebit leves varietates Influenzae hic illic obſervatas, ex iſtis vel aliis coeli mutationibus explicare, quamvis morbus ipſe aliam agnoſcat originem.

Tot lites de contagionum ortu ac natura, inter medicos maxime inſignes, diu ſine fructu extiterunt et adhuc extant, quot nec numerare nec dirimere queo. Fons et natura ejus ſpeciei unde Influenza proveniat eſt adeo obſcura,

ſcura, ut eam explorare minime ſim conaturus, bene gnarus auſum, ultra meas vires, vanum fore ac irritum. Veruntamen meminiſſe juvabit, effectus plerarumque contagionum (quas adhuc obſervandi facultas fuit data) eſſe ſat bene cognitos, et plurima ad eas attinentia ita intellecta, ut ſplendidius lumen cum medelae tum prophylaxi morborum contagioſorum, fuerit inde offuſum.

' Utrum contagio, catarrhum gignens, perſpirationem
' cutaneam ſupprimendo, ut frigus, operetur, an ſanguini
' immiſta, vel natura ſua ad glandulas faucium et bron-
' chiorum mucoſas deferatur, vel ad haec organa ſtimu-
' landa ſpecialiter idonea ſit, adhuc dubium videtur *.'

' Saecula priora, vanis terroribus plena, ſibimet pinxe-
' runt atmoſphaeram, per longum ſpatium, peſtifera et
' exitiali contagione undique onuſtam. Hinc fabulae a-
' vium ſuper urbes peſte laborantes volitantium, cita
' morte correptarum, hincque omnia ſocietatis vincula
' diſrupta.

* Nankivell Diſſ. Med. Inaug. Edinenſ De Catarrho.

' diſrupta. Parens filium, filiuſve parentem, inter ſoli-
ſ tudinis horrores langueſcere et perire reliquit *.'

Hos errores delevit dies, docuit particulas contagioſas eſſe nequaquam late diffuſas. Vicinia ſemper, tactu ſaepe eſt opus ad morbos contagioſos impertiendos. Quod de aliis, idem de Influenza eſt verum.

CAUSA PROXIMA.

De *cauſa proxima* multa diſſerere in animo non eſt. Cuncta enim ſigna Influenzae conſtantiſſima, morbidum ſtatum membranae mucoſae naribus, faucibus, et bronchiis obductae, unde plus ſolito fluidorum ad eas partes devehatur, oſtendunt. Praeter auctam muci, qui acris ſaepe fit, effuſionem, glandulas earum partium cuidam irritationi

* De Butts Tent. Inaug. Edinenſ. de Aëris in corpus humanum effectibus.

ritationi esse magis minusve obnoxias, veri videtur simile. Sanguis, inter initium nuperi epidemici detractus, crustam coriaceam, cujusdam partis inflammatae frequens indicium, plerumque exhibuit.

RATIO SYMPTOMATUM.

Signorum omnium rationem reddere, foret labor levis et huic loco ineptus; quippe eorum multa sunt Influenzae cunctisque febribus communia. His igitur praetermissis, ad pathognomonica praecipua animum attendam, et ea breviter explicare, eodem fere ordine quo in historia tradebantur, utpote naturae maxime consentaneo, jam conabor.

Dolor capitis et oculorum obtusus, spiritus per nares difficilis, lachrymatio, et *aucta nasi secretio*, ab aucto fluidorum ad eas partes impetu, et ab vasis quae iis obducuntur distentis ac congestis, unde glandulae irritatae secretionem augent,

gent, plane proveniunt. *Sternutatio* ſimilem agnoſcit cauſam; namque nares hominis ſaniſſimi, quomodocunque irritata, eundem edunt effectum.

Odoratus imminutus, compluribus organi vitiis hoc in morbo, tribui poteſt. Nares initio aridae, poſtea vel largo flumine humectantur, vel muco ſpiſſo ita opplentur, ut aër eas libere ingredi nequeat: Quicquid autem aëris ingreſſum impedit, ſenſum partis non minuere non poteſt. Forſan quoque, nervi odoratui inſervientes, cum membrana narium nunc inflammata ac tenſa, nunc laxa evadit, quodammodo mutantur.

Ratio *auditus imminuti* difficilius redditur; ſed forſan a tubo Euſtachiano, qua in fauces hiat, rigente, conſtricto, vel compreſſo, vicinarum glandularum tumore, qui hujuſce mali eſt comes haud infrequens, pendet. Auditus tamen non ſemper in hoc morbo afficitur. Nonne licet ſuſpicari, tympanum ipſum interdum fieri morbidum?

Cauſa

Cauſa *labii et naſi excoriati* facile explicatur; nam cum copia fluidis major excernitur, excretio tenuior evadens, mucum partes defendere ſolitum abluet, unde cuticula, diu macerata, demum abradetur. Sed praeter mutationem quantitatis, nonne eſt cur ſuſpicemur, qualitatem excretionis quoque eſſe mutatam?

Raucitas a vi vibrandi in glottide, cartilaginibus, et ligamentis laryngis deleta; ab inflammatione partium vicinarum; a muco, qui partes texiſſe debet, vel nimis vel non ſatis abundante oritur.

Tuſſis excitari poteſt, irritatione membranae glottidem, aſperam arteriam, et bronchia veſtientis, inflammatione partium quarundam, natura et quantitate materiei ſecretae.

Licet obſtructioni narium quodammodo efficere *dyſpnoeam*, quae tamen forſan, ab auctо ſanguinis per pulmones impetu, ab inflammatione faucium vel ſuperioris portionis laryngis, praecipue pendet.

PROGNOSIS.

PROGNOSIS.

Utriuſque catarrhi finis eſt plerumque felix. Quamvis enim impetus nuperi epidemici fuerit ſubitus, ejuſque ſymptomata initio violenta, attamen junioribus, alias ſat ſanis, nec diuturnus nec periculoſus vulgo fuit inventus. Paucorum qui ei ſuccubuere, alii ex imperitia medentium, alii optima adminiſtratione fruſtra adhibita, perierunt.

Quando aeger fuit juvenis, antea ſanus, nec phthiſeos impetui opportunus; quando febris Influenzae comes, ab initio lenis, poſt ſudorem libere prorumpentem intra quadraginta octo horas, lenior evaſit; quando reſpiratio fuit facilis, tuſſis parum moleſta, ſputumque a tenui craſſius factum, et facile ejectum, tunc fauſtam prognoſin fidenter edere licuit.

Prognoſis

Prognosis infaustior evasit, cum signa febrilia post stadium frigidum grave, aliquandiu saevierunt; cum aeger delicato corpore, provecta aetate, catarrho fuerat antea saepe obnoxius; tunc enim Influenza, impetum fluidorum ad pulmones versus augendo, semper incommodum, nonnunquam lethum misero intulit. Hoc facilius accidit cum vires fractae, mucum bronchia opprimentem, ejicere nequiverunt.

Respiratio difficilis; tussis violenta, frequens; praecordia constricta; vel dolores fixi in qualibet thoracis parte, juvenes, diathesi phlogistica, aggressi, periculum aut pneumoniae jam formatae, aut tuberculorum formandorum, aut haemoptyseos secuturae indicarunt; quorum omnium diram sequelam nemo ignorat.

METHODUS MEDENDI.

Antequam ad hanc partem progrediamur, pauca de prophylaxi obſervare licebit. Effugere commercium cum iis qui morbo laborant eſt apprime neceſſarium, quod quidem ex antedictis de cauſa remota facile colligitur. Familiae complures, ad hoc attendendo, contra impetum morbi prorſus munitae fuiſſe dicuntur. Experientia gentium infelicium, quae peſte ſubinde vaſtantur, abunde confirmat, quam ſit neceſſarium vitare contactum aegrotantium, ſiquis velit vivere ſanus. Interea tamen, cauſae cum praediſponentes tum remotae, quas quidem olim recenſui, ſunt cautiſſime fugiendae.

Quae ſpectant morbi medelam, conſilia mihi videntur praecipue tria; viz.

I. Moderari febrem morbi comitem;

II. Signa

II. Signa quaedam moleſta levare, et

III. Finem verſus morbi, vires aegri languentes reſtituere ac confirmare.

I. Febrem moderari licet, antiphlogiſtici regiminis adminiſtratione; purgantibus; ſanguinis detractione; ſed praeſertim avertendo impetum fluidorum ad vaſa ſuperficiei verſus.

1*mo*, Regimen antiphlogiſticum quidem, febribus continuis pleriſque tam utile, hic fuit minus neceſſarium; attamen, ni morbus fuerit leviſſimus, a carne omnigena, ab omnibus liquoribus vini vel fermenti prole, ab omni denique re, inflammationi vel ardori excitando apta, abſtinere oportuit. Exercitatio aegro, qui plerumque in primo ſtadio morbi adeo fuit debilis, ut cubile omnibus antepoſuerit, nocuit; ſed cubile ipſum, ſi onere ſtragulorum corpus nimis calefieret, non minus quam aër frigidus, (cui qui ſemet temere objecerunt in morbum iterum inciderunt), evaſit nocivum.

2*do*, Catharſis

2do, Catharsis magna raro fuit excitata, estque cur credatur eam fore non modo inutilem sed pernicioſam, cum inferendo debilitatem, tum avertendo impetum sanguinis ad cutem versus. Catharsis praeterea vasa sanguifera adeo lente deplet, ut huic consilio parum respondeat. Ducendae alvo, siquando opus erat, lenia laxantia et enemata emollientia satis convenerunt.

3tio, De sanguinis detractione multum inter medicinam facientes ambigitur. Signa diatheseos phlogisticae haud dubie magis minusve ineunti Influenzae adfuerunt; sanguis venae detractus cruſtam coreaceam exhibuit plerumque; et nonnihil levaminis inde saepe allatum; sed haec evacuatio raro, ut mihi videtur, fuit necessaria ad medelam, cui adeo nil contulit, ut eam tardiorem, aegrumque in morbum iterum incidendo magis obnoxium, effecerit. Quam necessaria fuerit, cum signa pneumoniae aderant, jamjam dicetur; sufficiat interea notare hanc necessitatem saepissime ex usu imperito remediorum calefacientium esse exortam. In simplicibus morbi exemplis, eam plus nocuisse quam profuisse; aetate provectis semper esse nocivam,

nocivam, etsi junioribus et robustis interdum utilem, nec non gravidis abortu (quem praecavit) periclitantibus, experientia abunde comprobavit.

4to, Necessitatem impetum fluidorum ad superficiem versus dirigendi, nemo hujus morbi gnarus, non confiteri non potest. Utrum perspiratio obstructa sit causa, an effectus morbi, statuere, non operae est pretium; experientia enim satis probavit catarrhum, tutissime, jucundissime, celerrime sudore excitando solvi, ante cujus fluxum quidem, omnia, contra symptomata singula, conamina, irrita evadunt. Evacuatio plerumque sponte incipit; sed oportet eam, copiam tepidorum diluentium exhibendo, promovere. Haec quidem sunt omnibus febribus utilia, quippe quae, sanguini partes fluidas, exhalatione perpetua per cutem pulmonesque dissipatas, suppeditant, ac ita aequilibrium vasa majora inter atque minora conservant; quapropter huic morbo optime accommodantur.

Sudore non sponte prorumpente, eum arte excitare convenit; sed diaphoretica stimulantia, quale est alkali volatile,

volatile, quodque ſignum acerbius reddunt. Si diluentia parum ſudori ciendo ſufficiant, ad ſales neutros, exiguas antimonii doſes, fomenta partium imarum, quae ſunt et faciliora pediluvio, aegrumque minus fatigant, decurri poteſt. Fomenta tamen non tantum proſunt, avocando fluida a partibus ſuperioribus, (quae nonnullorum eſt opinio), quantum partes relaxando.

Emetica ſeu ad plenam vomitionem, ſive minori quantitate adhibita, utpote perſpirationi promovendae, et febri finiendae, accommodatiſſima, hic ſilentio praetermitti non debent. Opium vel ſolum, vel una cum aliis diaphoreticis, poſt diatheſin phlogiſticam ſublatam, eidem conſilio convenit.

II. Quomodo ſymptomata maxime moleſta levari poſſunt, jam eſt dicendum. Hic tamen perpauca tantum, ea nempe quae morbum frequentiſſime comitabantur, notare in animo eſt; nam ſi de cunctis, quae alii in aliis locis obſervarunt, plene diſſererem, nimis longus oriretur ſermo.

Dolor

Dolor capitis, praecordiorum oppreſſio, et nauſea quae morbo ineunti ſaepiſſime adſunt, vomitioni optime cedunt. Dolores, muſculos partium variarum infeſtantes, ut et coryza, ac gravedo, ſudore fluente plerumque leniuntur; ſed ſi dolor, poſt febrem ablatam, in quavis parte perſtiterit acerbus, cucurbitulas cruentas parti dolenti adhibere licebit.

Tuſſis, quippe omnium ſymptomatum maxime moleſta, diuturna, ac periculoſa, maximam medici attentionem ſibi vindicat. Cum doloribus laterum, pectoriſve acutis, et reliquis pneumoniae ſignis ſtipatur, cum aeger eſt juvenis, plenus, pulſu duro, tunc vena eſt ſecanda, etſi hic quam in aliis morbis inflammatoriis, uti antea dictum, majori cura eſt opus. Praeter venaeſectionem, epiſpaſtica quoque, et vapores aquae calidae partibus affectis adhiberi poſſunt.

Si tuſſis poſt febrem ſuperſtes adhuc vexabit aegrum, a demulcentibus et expectorantibus auxilium eſt petendum. Ex demulcentibus, mucilagines ſunt uſitatiſſimae, et haud dubie optimae; partes enim oblinunt, contra materiem

aerem

acrem defendunt, itaque tussi levamen afferunt. Olea, ob debilem ventriculi statum, minus convenire solent. Expectorantibus plurimi sunt confisi, credentes crisin morbi optime expectoratione esse effectam. Eorum optima sunt emetica, scillae, opium, et lenis exercitatio, praecipue gestatio. Lac, cum tussis sola vexat aegrum, post alia remedia adhibita, summo cum fructu, pro cibo sumitur.

III. Quantum ad aegrum roborandum attinet, pauca sufficient. Morbo ipso durante, ob nempe insignem debilitatem, aegri vires cortice Peruviano, Vino, aliisque remediis, sustinere interdum est necessarium, quae omnia, una cum cibo nutriente, et idonea in aëre libero exercitatione, post febris ac catarrhi discessum, sunt apprime utilia.

In methodo medendi, omnia remedia (de praecipuis solis anxius) nec recensui, nec ullas formulas, ne lectorem taederet, tradidi. Collectio Doctoris Gray nuper in publicum edita *, plurimas observationes cum symptomata, tum

* Medical Communications, Vol. I.

tum medelam ſpectantes, ſuppeditavit, quas cum exemplis in Noſocomio mihi obſervatis ſedulo comparavi, ut aptiſſimas, quod in tanta turba minime ſit facile, undique decerperem.

* * * * *

Hanc diſſertationem claudere gratus vetat animus, donec Curatoribus, Medicis, et Chirurgis, Noſocomii Edinenſis, ubi per quinquennium degens, plurima rem medicam ſpectantia, alibi vix conſpicienda, felix equidem conſpexi, grates quam maximas egerim; praecipuae autem, ob plurima beneficia, et ſummam quam ſemper fui expertus urbanitatem, D. Joanni Hope, et Gulielmo Cullen debentur, quas lubentiſſime ſemper exſolvam.

Inter fauſtiſſimos eventus vitae, amicitiam D. Jacobi Hamilton alterius medici Noſocomii Edinenſis, ſemper

numerabo. Sub ejus ductu atque auſpicio, medicinae, lectis aegrorum ſimul aſtans, utiliter uti ſpero, certe jucundiſſime incubui; ſolertiam, quae medicum, morum comitatem quae virum ornat, magis magiſque miratus.

FINIS.